QVUM MULTI EX ROMANIS ETIAM consularis dignitatis uiri res romanas greco peregrino que sermone in historiam contulissent siue emulatione glorie siue uarietate & nouitate operis delectati: Vir prisce eloquentie Trogus Pompeius grecas & totius orbis historias latino sermone composuit ut cum nostra grece greca quoque nostra lingua legi possent. professus rem magnam & animi & corporis aggressus. Nam cum plerisque auctoribus singulorum regum ut populorum res gestas scribentibus opus suum ardui laboris uideatur non ne nobis Pompeius herculea audacia orbem terrarum aggressus uideri debet? cuius libris omnium seculorum regum nationum populorumque res geste continentur & que historici grecorum prout commodum cuique fuit inter se gregatim occupauerunt omissis que sine fructu erant: ea omnia pompeius diuisa temporibus & serie rerum digesta composuit. Horum igitur quatuor & XL uoluminum nam totidem edidit per ocium quo in urbe uersabamur cognitione quoque dignissima excerpsi: & omissis his que nec cognoscendi uoluptate iocunda nec exemplo erant necessaria breui ueluti florum corpusculum feci. Vt haberent & qui greca didicissent quo admonerentur: & qui non non didicissent quo instruerentur. Quod ad te non

Trogus Pompeius.

iiij^or & XL uolumina

1